

rit, tunc non obest ei ignorantia, five de damno vitando, five deniq; de lucro captando quæstio sit. *l. 9. §. sed & facti. 2. ff. de jur. & fact. ignor.* Id quod tamen sine limitatione simpliciter verum non est, uti cum Dd. statuit laudatus *Dn. Bornius in Colleg. privat. ad tit. de jur. & fact. ignor. §. 3. reg. 2.*

§. XXIII.

Objectum Confessionis constituitur id quod facti est, vid. supra definit. §. 3. five præteriti five præsentis sit, modo Jus & naturam recipiat. Sed ad hoc plenius dilucidandum, notetur, quod ad objectum confessionis tria requirantur. 1. Ut id quod quis confessus est, sit facti, *Decian. Lib. 3. Conf. 8. n. 58* Etenim super ea quæ juris sunt, confessio facta, neq; officit neq; prodest confitenti, *arg. l. 31. de aur. & arg. leg. Surd. Vol. 1. Conf. 403. n. 77.* ubi tamen excipe casum, si fortè quærat de consuetudine aut jure alio particulari, utrumne illud ita sit constitutum nec ne? hoc loco enim, si quis largiatur & concedat Jus istud quod in quæstionem deductum jam est, ita fuisse constitutum atq; observatum, quin sibi præjudicet, extra dubitationis aleam positum est. vid. §. *preced.* Facti verò vocabulum, quemadmodum alibi, ita & in præsentis non facta simul comprehendit. v. g. si quis fateatur se Titio nihil solvisse, litem Cajo non denunciassse, &c.

§. XXIV.

Requiritur 2. ratione objecti, ut confessio fiat vel de præteritis vel de præsentibus, non autem de futuris. Futura enim vel promittimus vel speramus vel metuimus, præterita autem vel præsentia confitemur *arg. l. 4. 5. 6. §. 2. l. 7. ff. de confess. l. 23. §. f. ff. ad Aquil.*

§. XXV.